



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 106. Clam de extirpandis hæreticis actum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

ptibus novem arces, ac præfecturas pignoris loco ei offerrent, quas postea sexcenties aureorum millibus Provinciæ Ordinibus redimere jus esset: igitur ea de re publica instrumenta confecta, & jurisjurandi utrinque interpositi religione firmata sunt, postquam cuncta hæc pacta fuerunt acceptata.

Demum Fürstenbergius ob decrepitæ suæ ætatis molestias supremi Magistri dignitatem dimisit, eamque Gothardo Ketlero concessit, qui etiam bellum adversus Moscovitas susceperat.

§. CVI.

Clam de extirpandis hæreticis actum.

Postquam inter Franciam, Hispaniam, Angliam, atque Imperium communis pax fuerat stabilita, Henricus II. unice eo curas intendit, ut hæresum, quæ latius per Franciæ Regnum serpebant, progressibus obicem poneret: quippe Ducissa Valentina, quæ ex proscriptionibus, ac damnatorum bonis lucrum hauriebat, & Guisiani, qui ex sectariorum pœnis gratiam apud populum aucupabantur, regis aures hac opinione occupant, quod passim per Galliam hæreticorum virus spargatur, nec Rex quiete in iis Provinciis regnare possit, in quibus malum illud dominatur, præcipue cum illorum, qui hoc

N 4

veneno,

Sæcul. XVI
A.C. 1559.

Sæcul. XVI
A.C. 1559

veneno imbuti sunt, tanta sit impudentia, ut non jam in privatis conventibus, sed palam, ac publice in toto Regno hæresim divulgent, qua re & Dei nomen contumeliose profcindi, & Majestatem regiam haud dubie convelli inquebant, cum ibi, ubi divina jura sunt confusa, haud dubium sit, quin simul & humana omnia subvertantur: Id autem, ut eo magis Regi persuaderent, Ægidium Magistrum Senatus Principem, Joannem Santandreamum, Antonium Minarium Curiae Præsides, & Ægidium Burdinum cognitorem Regium adhibent, & his administris, ac præcipue Ægidio Magistro magni, & acris ingenii homine usi, parum pace foris parta prospectum esse Regi ostendunt, si externis armis crudelius multo bellum domi exoriatur, ac indies in Regno magis, magisque invalescat.

§. CVII.

Quorundam Præsidum querelæ ad Regem contra hæreticos.

Hisce rationibus propositis insuper Regi hæc significabant: „jam malum eo „pervenit, ut, si diutius dissimuletur, „non jam Magistratus gladio, ac Regni „legibus coerceri, sed justis exercitibus „ac Regiis auspiciis, ut olim Albigensium temporibus accidit, illud debel-
lari